

lumque tam devotum manibus complois deum et sanctum novum, nostrum patronum, supplicentem. Vidi plerosque lacrimantes pre gaudio in adventu hujus sanctissimi, nostri patroni. Denique ecclesiam ingressi post Te deum laudamus in organis et per choros decantatum sermo solemnis in ambone de adventu reliquiarum est habitus. Rogo igitur obnixe, sapientissime domine doctor, ut suscipiatis litteras, quas misi modo, et, si commode fieri poterit, domino Jeronimo Empser in Dresen ducis Georgii secretario transmittatis vel saltem fratri vestro domino decano ad Misznam, per cujus manus domino Jeronimo presententur. Quibus in rebus dominacioni vestre iterum complacere potuero, nunquam paciar neglectum. Salutetur eximius et reverendissimus dominus doctor, frater vester, dominus decanus nomine meo cum multa graciaram accione etc. Ex monasterio nostro sancti Michaelis in Hildensem ipso die Jovis post festum beate Marie Magdalene anno salutis millesimo quingentesimo vicesimo quarto.

---